

002
& tāquam falsam damnavit) & refutavit opinionem suam de Tro-
posacramentali in copula.

41. Quarta ratio. Quia sic, inquit, facilius & fortius eli-
ditur Calumnia, quod in cæna Domini fingamus esse & manducari
corpus tropicum, figuratum, non verum. Resp. Non ea calumnia est,
sed verissima accusatio: quæ non eliditur; sed magis magisq̃ confir-
matur tropo illo Sacramentario. Nam si solum signum corporis Chri-
sti, in altissimo cælo longissimè absentis, accipitur & manducatur in
cæna (id quod sacramentarii docent, eoq̃ tropum hunc suum accom-
modant) planum est, ipsum verum & substantiale corpus non adesse
& manducari. Vnde quidam Zvingliani vocant corpus Symboli-
cum, mysticum, sacramentale.

42. Quis sit Tropus in sacra cæna verbis, Autor ille
non morari se, ait nomen tropi, metonymiam, Synecdochen, an aliter
quis appellare eum velit. Sed tamen ait certum esse, metonymia seu
denominationis speciem esse, cum signum nominatur signatum, vel
contrà. Iam in verbis Christi, inquit, signum dicitur esse signatum.
Panis dicitur esse corpus Christi pro nobis traditum. Est igitur meto-
nymia species. Et hanc metonymiam dicit omnibus sacramentis usi-
tatam, indeq̃ vocari sacramentalem. Exempla etiam profert. Cir-
cumcisio dicitur fædus, & signum fæderis, Gen. 17. v. 10. 11. Agnus
dicitur Pascha seu transitus, id est, memoriale transitus. Exod. 12. v.
11. cap. 13. v. 9. Victimæ erant expiatio, hoc est, typi expiationis Chri-
sti, Levit. 4. v. 31. Hebr. 8. vers. 5. Petra erat Christus, hoc est, typus
Christi, 1. Cor. 10. vers. 3. Baptismus est lavacrum regenerationis, &
ablutio peccatorum id est, sacramentum lavacri regenerationis, &
ablutionis peccatorum. Panis est corpus Christi, hoc est, Est sacramen-
tum corporis Christi. Calix est N. Testamentum, hoc est, sacramen-
tum N. Testamenti. Panis quem frangimus est $\rho\omega\sigma\omega\nu\iota\alpha$ corporis Chri-
sti, hoc est, sacramentum quo fit illa $\rho\omega\sigma\omega\nu\iota\alpha$. Hæc totidem, inquit, sunt
exempla metonymia signi & signati in sacramentis. Quam paulò
post ita definit, sacramentalis Metonymia est, inquit, p. 134. cum